

D. O. M.

DE CARIE OSSIUM.

THESES

ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.



OMO naturæ miraculum & decus, non modò divinæ mentis, quâ informatur, arduâ ſagacitate, verùm etiam eximiâ ædificii mortalis fabricâ, eleganti diſpoſitione, nobili formâ, miro partium concentu ac ſingulari artificio, infinitam ſupremi numinis ſapientiam arguit. Quàm amicè ſociantur frontis dignitas, oris venuſtas, oculorum blandè minacium flagrantia! Quàm benè conveniunt, vultu, animæ theatro, ſedentes majeſtas & amor! Stupendam microcoſmi architecturam, fulcri modo ſuſtentant oſſa; his cæteræ partes affiguntur. Oſſa concinnè invicem articulata, mutuâque contiguitate copulata, corpus, pro diverſo humanæ indigentiæ uſu, flexile præſtant, dum motus voluntarii organis, ſtabile

M

principium largiuntur. Oſſa tandem, totiùs molis columnæ, ſenſuum regiam, ita erectam ſuſtinent, ut homo,

. . . Os ſublime ferat, cælumque tueri
Poſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Quamquam duriſſimæ deprehendantur oſſeæ partes, diræ tamen morborum cohorti, pateſcunt obnoxiæ. Nunc teterrimas patiuntur læſiones, nunc firmiſſima eorum ſubſtantia eroditur, conſumitur, deperditur; quod à morbo edaci, *carie* dicto, calamitosè nimis demonſtratur. De peſſimo hocce affectu, nonnulla quædam dicere fert animus, poſtquam Oſſium anatomiam, paucis expoſuerimus.

EX ANATOMIA.

Corpus humanum, definitur à peritis, machina hydraulico-pneumatica, ſolidis ac fluidis partibus coagmentata. Primaria humanitatis noſtræ rudimenta, ſunt infinitè parva & abſtruſa nimis, quàm ut de illis, ſermo fieri poſſit. Itaque de elementis ſecundariis, quæ ſub ſenſus cadunt, tantùm modò dicemus.

Fibris diverſi generis, multifariàm implexis, intortis, intertextis, corporantur ſolida, id eſt, & vaſa & quod dixere *parenchyma*. Ex moleculis diverſimodè configuratis, conflantur fluida. A latice purpureo, ceu fluido principe, defluunt alii humores, chilo excepto. Materia à vaſis diſcrepans, primam efformat telam cujuſcumque viſceris, muſculi, cartilaginis, oſſis, &c. huic materiæ *parenchyma* nomen. Cæterarum partium, ſummatìm ſolùm, primigeniam delibamus texturam, ut amplior, de Oſſium compage, argumento præſenti, ſermo habeatur.

In oſſe, duriſſimâ ac firmiſſimâ ædificii humani parte, conſideranda præcipuè veniunt elementa, forma, cavitates, medulla, vaſa, perioſtium.

Sensilia Oſſium elementa, ſunt laminæ oſſeæ, aliæ ſupra alias adplicatæ, & in hunc diſpoſitæ modum, ut inferior, nunquam exactè tegatur à ſuperiore. Mediante ſucco partìm oleoſo, partìm glutinoſo, interſeſe junguntur. A perioſtio externo originem mutuari, aut à cartilaginibus ſeu membranis in ſubſtantiam oſſeam transformatis, produci videntur (*a*). in pleriſque

(*a*) Oſtéologie de M. Bertin, tom. 1, pag. 323.

offibus, fubftantia triplex confpicua, fcilicet *compacta*, *cellularis & reticularis.*

Compacta five folida, externam præcipuè offis fuperficiem occupans, duriffima, albicans, textuque donata validiffimo, diverfis laminarum ftratis componitur: quod invictè demonftrant offa fracta, offa per longum temporis fpatium pluviæ & aeris injuriis expofita, igne calcinata, aut in machinâ Papinianâ forti ebullitione fubacta. Harum præfentiam, confirmant adhuc exfoliationes, aut lamellularum in vulneribus Offium, abrafiones. Laminas detegit, ipfemet oculus microfcopio armatus.

Exteriorum ordo, admodùm regularis effe obfervatur; fed interiores pedetentim, quafi per gradus declinant; corrugatæ, ut ita dicam, aut inæqualiter plicatæ, rectam ftratorum normam deferunt, ut lamellas efforment, quæ fefe diverfimodè interplicantes, cellulas plùs minùs ve planas, curvas, intortas, angulares, irregulares, craffas, latas, graciles &c, relinquunt. Lamellæ conftituunt portionem cellulofam, quæ fecunda offis fubftantia.

Inter hofce folliculos, deteguntur plurimæ aliæ fibrillæ pariter offeæ, fed tenuiores, quoquo verfùm pofitæ, fefe diverfimodè interfecantes, fubftantiam efformant, fpeciem reticuli præ fe ferentem, & idcircò reticularis audit. Hæc precipuè, in magnâ Offium longorum cavitate, reperitur.

Extima illorum fuperficies à perioftio, membranâ tenfâ, fubalbidâ & inæqualiter fpiffâ, cingitur. Omnia offa externè & internè inveftit perioftium, dentibus quantùm fupra gingivas prominent, locifque ubi inferuntur mufculi, exceptis. In foraminibus Offium, plurimas mittit fibrillas, quæ in intimam ufque fubftantiam penetrantes, vafa, os intùs & extùs alluentia, vehunt & fuftinent. Fibrillæ nerveæ in perioftio copiofiffimæ; hinc exquifita illius fenfibilitas.

Arteriæ & venæ, innumeris anaftomofibus, quafi reticulum efformant, ex quo variæ amplitudinis rami exurgunt. Majores, per foramina in medio offe & extremitatibus confpicua, fefe infinuant. Minores, in anguftiffimos fubftantiæ compactæ receffus penetrantes, os nutriunt. Arteriæ in Offium cavo per foraminula extremitatum diftributæ, venas non habent comites: quæque arteria, vena quæque foramen peculiare fubit, exceptâ folùm modò arteriâ, quæ, ad ductum in medio offe infignem, fe confert.

Licet minùs in propatulo ſint, oculoſque ultimi ramuli fugiant, quot arteriæ in oſſibus, tot venæ, in tres claſſes dividuæ.

Primæ claſſis arteriolis perioſtii, ſecundæ claſſis venæ arteriis extremitatum, correſpondent. E cavitate cellularum, redundantem revehunt ſanguinem, majoreſque perioſtii venas, aut venoſos truncos viciniores adeunt. Tertia claſſis venas complectitur, quæ in os medium penetrantes, arteriarum ſociæ, in cylindro medullari, peculiari artificio diſtribuuntur, arteriarum enim venarum que ramuli, tametſi eoſdem ductus ſubeant trunci, ſeſe non concomitantur. Hæ venæ, majores perioſtii venas petunt.

Medulla eſt ſubſtantia pinguis, oleoſa, ſubtilis, ſubalbida, quandòque ſub flava aut ſubrubra, cui, varia, ratione conſiſtentiæ & loci, denominatio. In majori Oſſium cavitate, ubi ſubſtantiâ reticulari ſuſtentata, coacervatur, *medulla*, in cellulis extremitatum, *ſubſtantia medullaris*, in interſtitiis lamellarum, in textu que ſolidiori oſſis, *oleum medullare*, nuncupatur. Ex arterioſo ſanguine, in membranulis cellulas Oſſium circumdantibus, membranâque cylindrum medullarem cingente, pinguis hæcce ſubſtantia, ſecerni videtur. In fibrarum oſſearum intervallis ſeſe inſinuans, tenacitatem, flexibilitatem que oſſibus conciliat, eaque ab ariditate & fragilitate deffendit, ſed oſſa, ut exiſtimarunt olìm, non nutrit.

Sui ſunt medullæ nervi, ſua peculiaris membrana, ſuæ cellulæ ſeu veſiculæ, è perioſtii, canaliculos Oſſium ſubeuntis, proceſſibus, vaſiſque tenuiſſimis, ſibi invicem adhærentibus, conflatæ.

Forma, cavitates, &c Oſſium, non ſunt inſtituti præſentis.

EX CHIRURGIA.

Caries (*a*) eſt eroſio oſſis, modò à cauſis internis, modò ab externis originem ducens.

(*a*) Varia eſt, varios apud auctores, cariei nominis acceptio. Quandòque corruptionem ligni aut aliarum rerum ex vetuſtate ſignificat. Nam ſic *Plinius*, lib. 16. *Hiſtor. natur.* capit 39: *Cedri oleo peruncta materia*, *nec tineas nec cariem ſentit*. Propriè quidem caries in lignis denominationem habuit, quandò à vermiculo, qui Græcè κὶς vocatur, eroſa fuere, poſtea autem omne vetuſtum *carioſum* audiit, quod teſtatur hic *Ovidii* verſus:

Quid precer iratus? Niſi vos carioſa Senectus
Rodat?

Eadem vox poſtmodùm à Chirurgis fuit uſurpata, eamque ſignificare volunt, ſubſtantiæ jacturam in partibus duris, à re corrodente productam.

Ossis periostio defraudati, substantia brevi adulteratur, brevi à natali colore degener, flavum fit os, fuscum, tandemque nigrum; tunc alteratio, nigrities ossis (*a*) dicitur.

Si mirum in modum accreverit morbus, id est, si nigrities intensior appareat; tunc, caries immeritò vocatur, est enim secundus tantummodò morbi gradus.

Si lamellæ osseæ, lentè admodùm consumantur, squammulæ exiguæ furfuraceæ decidant, si os erosum, exesum, atque pumicis instar inæquale deprehendatur, si sanies fœtida profluat, cujus acrimonia, os ut plurimùm potentiùs depascitur, &c; tunc morbus, meritò *cariei* nomine insignitur.

Levis est caries, aut adæquata, hæc in siccam & humidam bipartitur. Sunt & adhuc quædam differentiæ à causis, tùm externis, tùm internis, aliis ve circumstantiis, desumendæ.

Causæ cariei internæ, sunt spina ventosa, arthritis, lues venerea, scorbutica, succussiones, commotiones, deliquescentia medullæ. Inflammationes membranæ, medullam internosque Ossium parietes, investientis, huic quoque morbo januam sæpissimè aperiunt.

Ictus, lapsus, abscessus, denudatio ossis, contactus aeris, puris, ineptaque medicamentorum pinguium super os applicatio, causæ habeantur externæ.

Visu, tactu & naturâ humoris ex ulcere profluentis, cognoscitur caries.

Si os sideratum oculis subjaceat, flavum, fuscum aut nigrum deprehenditur. Quandò verò, pars ossis adulterata delitescit, oculisque conspici nequit; tunc digito aut specillo, asperitates aut inæqualitates persentiuntur. Quandò denique cariem, neque visus, neque tactus testantur, si carnes flaccidæ & decolores luxurientur, si linamenta carpta, emplastraque quasi nigrescant, humoresque, fusci, nigri & fœtentes ex ulcere erumpant, frustulaque ossea, aut squammulas secum advehant; tunc cariem, dolosis suppositam carnibus, latere meritò suspicamur.

Pro naturâ, intensitate, loco, causâ & accidentibus differt cariei prognosis.

Caries à causâ externâ, superficiem Ossium validiorum rodens, eradicari potest. Major, immò maxima occurit difficultas, quandò ossa tenuia, aut minùs compacta, infestat. Quæ articulos

(*a*) Heisteri Instit. Chir. tom. 1. pag. 369.

afficit, ferè nunquàm abſque amputatione, aut ſaltem abſque anchyloſi, deletur.

PESSIMAM ſemper ſecum importat prognoſim, caries ab internâ cauſâ, originem ducens. Quæ à ſpinâ ventoſâ & ab arthritide, ferè nunquàm, quæ à lue venereâ, aut ſcorbuticâ procedit, quandòque deſtruitur. Caries à ſuccuſſionibus & deliqueſcentiâ medullæ oriunda, terebrationem oſſis, ſæpiùs, membri amputationem expoſtulat. Conſequenter periculoſiſſima.

RELIQUUM ſupereſt, ut graviſſimi hujuſce morbi, variam, pro variâ naturæ, ſedis, cauſæ & gradus ratione, curationem ſummatìm aggrediamur, his potiſſimùm indicationibus comprehenſam. Scilicet, 1°. adulterati humores partem affectam actu rodentes, pro re natâ emendentur, temperentur, abſorbeantur. 2°. Ne ulteriùs ſerpat edax ille morbus, prohibeatur.

VICTUS ratio, præſidia pharmaceutica, ſæpè ferrum & ignis, indicationibus faciunt ſatis.

DIURETICA, nec non diaphoretica tùm ſalina volatilia, & ſalia volatilia oleoſa, tùm alkalina terrea, acre acidum abſorbentia, miram quandoque præſtant opem, ſi quidem, hæſitantium in exiliſſimis Oſſium vaſis humorum, diſcuſſioni maximè conducent. His utiliſſimè ſociantur decocta ſudorifera, quandò præcipuè, cum carie concurrit lues venerea, cujus eradicatio, mercurio prudenter ſuſcipienda.

PURGANTIA, ſi ab indicantibus poſtulata exhibeantur, blanda convenit catharſis, draſticaque, angue pejora, cautiſſimè vitentur.

NUNC immediatam partis carioſæ medelam exponamus. Morbi origine, gradu ac ſede, ſedulò detectis, apprimè noſcet ſanitatis miniſter, an facili, an verò difficili negotio & quânam ope, eradicari queat.

LEVIUSCULÆ ſufficiunt linamenta arida, vel ſpirituoſis imbuta medicamentis. Paulò profundiori, exterſâ ſanie, conducunt inſperſi pulveres balſamici, radicis ariſtolochiæ rotundæ v, g. iridis Florentinæ, ſabinæ, euphorbii, thuris, myrrhæ, &c. vel inſtillata olea exſiccantia ligni ſancti, cinnamomi, caryophillorum, vel eſſentiæ maſtiches, myrrhæ, aloes, &c. pinguia oleoſa cautè arceantur, ut potequæ, inter poros Oſſium admiſſa, rancorem contrahunt, morbumque adaugent.

AN extirpandæ cariei, aqua fortis, ſpiritus vitrioli, ſulphuris, ut potè corroſiva, competant, inter auctores controver-

titur. Hæc reprobat Doctiſſimus *Heyne* (*a*). A *Pandolphio* (*b*), *Heiſtero* & M. *le Dran*, commendantur. Utraque opinio rationibus ſuffulta, exemplis obſervationibusque illuſtratur. Litem dirimere, praxis haud improſpera videtur. Itaque, quandò ulcus à levi carie productum, carne luxuriante, molli, ſemperque recrudeſcente impletur; tunc legitimum laudamus, cum clariſſimo M. *Louis* (*c*), corrodentium uſum, inter quæ, vel hydrargirum aquâ forti ſolutum, vel illinitio *Hartmanni* (*d*), cum mercurio dulci in aquâ plantaginis ſoluto, palmam præripiunt.

Caries gravior, aliam ſuſcipit medelam. Os vitiatum, haud infrequenter terebrâ perforandum. Si in aprico fuerit, limâ vel radulâ tantisper deradatur, donec ſublatis partibus carioſis, os undique album vel rubicundum, ſe præbeat.

Quandò caries inſatiata, atrociùſque ſæviens, contra præſcriptos artis aculeos recalcitravit; tunc fulmine Chirurgico, vitatis vitandis, ſervatisque ſervandis, quàm ſolertiſſimè, ſemel aut iterùm prore nutâ, aduratur pars affecta; quouſquè ſpumans uvor, per poros exſudare deſinat, ut tum demùm, ſquammæ abſcedant non vi revellendæ, ſed lentè & leniter, poſtquàm natura operculum quaſi carneum ſano oſſi interjecit, ſeparandæ.

Exesis cranii oſſibus, noxia uſtio à prudentioribus Chirurgis improbatur; periculum eſt enim, ne membranæ cerebri, ipſumque cerebrum, lædantur. Idem fere ſtatuendum de nonnullis mollioribus ac ſpongioſis oſſibus; cujuſmodi ſunt, ſternum, carpus, tarſus, &c. quæ uſtionem non facilè ferunt.

Post applicationem cauterii actualis, linamenta arida, vel ſpiritu vini madida, ſuper os apponantur. Sequentibus verò diebus, balſamicis utendum, donec cruſta, à lamellis uſtis efformata, deciderit, & vitiatæ partes, ſubcreſcente novâ carne, ſint foràs eliminatæ.

Ad medullam uſque majorum Oſſium, ſi penetraverit caries, ſuadente *celſo* (*e*), ſemel vel pluries, celebretur terebratio.

Ossa tenuiora carie affecta, quoad fieri poterit, fore eximenda, cenſemus.

Cum totam oſſis ſubſtantiam, caries miſerè depaſcitur, quod

(*a*) Tentamen *de præcipuis Oſſium morbis*, &c.

(*b*) *De ventoſitate ſpinæ*, c. 15.

(*c*) Videſis Theſim de carie Oſſium in ſcholis Chirurgiæ propugnatam, præſide M. *Louis*, anno 1752.

(*d*) *Praxis Chymiatrica*, cap. 204, p. 984.

(*e*) Lib. VIII, cap. 2 & 3.

vitiatum, omninò eximendum (*a*). Si inferior pars intacta sit, tantummodò quod corruptum est, excidatur.

Quandò caries, os in articulo rodit, ita ut pars siderata, excidi, eximi, vel aduri, salvâ parte sanâ, nequeat; tunc luctuosa, sed unica superest medicina, amputatio membri, si spes salutis affulgeat, instituenda.

(*a*) Heisteri Instit. Chirurg. tom. 1, p. 375.

Has Theses Deo Juvante, & Præside M. JOANNE-BAPTISTA-GUILLELMO FERRAND, Facultatis Artium & Chirurgiæ Magistro, Regiæ Chirurgiæ Academiæ Socio, Regiæ Scientiarum, Litterarum & Artium Academiæ Rothomagensis Correspondente, nec non Scholarum Chirurgiæ practicarum Professore, *tueri conabitur*, Jacobus Courtin, *Parisinus, præclaræ Artium Facultatis Magister in Universitate Parisiensi, Regii Chirurgiæ Collegii candidatus, Theseos Auctor.*

PARISIIS,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

Die lunæ 30°. Decembris Anno salutis 1765, à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam.

PRO ACTU PUBLICO

ET

MAGISTERII LAUREA.

Typis P. Al. Le Prieur, Regii Chirurg. Collegii Typographi.